

erunt legati regis Siciliæ (99) in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Hungariæ, regis Hierosolymitani, regis Cypriæ, regis Aragoniæ, imperatoris Othonis, nec non aliorum principum et magnatum, civitatum, et aliorum locorum ingens adfuit multitudo. Instituit sancta Synodus, quod treugua servaretur a cuncto populo Christiano ad III continue abinde usque annos, ut Terræ Sanctæ recuperandæ posset melius atque liberius subveniri. Interim vero dominus præsul, omnibus orthodoxæ Fidei cultoribus scribere procuravit, hortans et in remissionem omnium peccatorum injungens, ut Terræ sanctissimæ succurrere quam citius laborarent (100).

De obsidione et destructione castri Casulæ et arcis Montis Fortini.

CAP. CXLV.

Anno itaque MCCXVI, præfatus Guido Lambertini publice in conspectu posuit sub banno [a] castellanos Casulæ [A] et arcis Montis Fortini [B] pro eo quod, ad suum Imolensium collectam et alia antiqua et consueta servitia nunciis nostris negaverunt, eosque nuncios, quod deterius fuit, contumeliis affectos expellere præsumperunt, et diu expectati ad satisfactionem minime venerunt. Omnibus itaque rite paratis, die Mercurii prima mensis Junii, exiverunt nostri cum toto eorum exercitu de civitate; et ipsa die, apud Gallisternam castrametati sunt, ubi segetes et arbores et vineas illorum de Gallisterna, qui effecti cives Imolæ erant [b], devastaverunt et eorum domos combusserunt. Sequenti vero die, apud Casulam [c] venerunt, et inceperunt duo prædicta obsidere castella. Terrigenas autem Casulæ et quosdam Imolenses, qui electi ad tuitionem loci [d] intus erant, nequeunte aliquo inde exire vel intrare, per dies præliis diurnis [e] et nocturnis, faculis et aliis lignis accensis, manganis, balistis et aliis tormentorum generibus incessanter flagellarunt. Videntes autem flagellati promissiones conjuratorum esse falsissimas, et Imolenses nullum eis posse dare auxilium, eo quod sciebant Bononienses nimium turbatos et iratos [f] ex hoc quod acciderat [g] Faventinis, et optime paratos esse Imolam venire [h] die qua a Faventinis vocarentur, die XVII præfati mensis, sese nominato Guidoni Faventino potestati, omni pactione remota, tradiderunt rogantes, collis [i] illaqueatis, ut saltem eis vitam concederet. At Guido Faventinorum potestas ipsis omnem remisit offensam, licentiam abeundi quo vellent eis tribuens. Cives quoque tam fortissimum castrum Casulæ quam munitissimam et inexpugnabilem arcem Montis Fortini flamma combusserunt

[a] sub banno, C. V.; sub anno, C. V. — [b] Imolæ erant. Supplevi erant. — [c] apud Casulam. Sic. C. M. et interum etiam Casolam scribit. — [d] ad tuitionem loci, C. M.; ad munitionem loci, C. V. — [e] paeliis diurnis. Sic corrigo cum C. V. In C. M., præliis diuturnis. — [f] et iratos. Sic lego cum C. V. In C. M., et ratos. — [g] ex hoc, quod acciderat. Sic lego cum C. V. Potest etiam legi cum cl. Mitt.; ex his, quæ acciderant. — [h] Imolam venire. Sic Codd.; non autem: imolenses venire. — [i] rogantes collis. Sic lego; rogantes collibus, Codd. M. et V.

[A] Casula est castrum, quod ad meridiem in principio montium locatum est, distatque hinc undecim milliariis.

[B] Arx Montis Fortini prope Casulam, ut patet ex hoc capite. Alius locus, qui eodem nomine Montis Fortini gaudet, est supra castrum Aurioli, in finibus dioecesis Faventinae versus Foroliviensem.